



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio V. Hebdomades qua ratione sint accipiendæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
2. 2. art. 1.

tica totam perfudit humanitatem. Propterea vnxit te Deus tuus oleo laticiae prae participationibus tuis. Cum autem Iudaei expectent regem qui sit filius Dei; quam aptiorem vnctionem illi accommodabunt melius quam ipsam filiationem Dei per quam est rex, cum sit haeres vniuersorum? Inter nostros non dubium quin illa fuerit vnctio, quam explicuit S. August. tom. 3. lib. 15. de Trinit. c. 26. qui negauit, baptismum fuisse vnctionem Christi, & asseruit esse absurdissimum existimare Christum iam trigenarium esse adhuc sine Spiritu sancto. Quod verum est: Photinus enim existimauit Christum multo tempore fuisse purum hominem; deinde assumptum à Verbo. Fuit igitur humanitas assumpta, & vncta diuinitate, cum primum exiit. Et quamuis Augustinus baptismum Christi aliud voluit significare, non propterea improbat hanc significationem. Quia verò illa vnctio fuit inuisibilis, est exigenda alia externa qua haec significetur. Aliqui senserunt esse illam Magdalena, qua effudit alabastrum super caput Christi recumbentis. Verumtamen Christus eam vnctionem non adscripsit regno, sed sepulturae. Ad sepeliendum me fecit. Alij vnctionem dicunt esse sanguinem, quo eius corpus fuit purpuratum. Imò & chlamydem illam coccineam, quam per ludibrium milites imposuerunt Christo, censent fuisse insignia & paludamentum regium S. Athanasius, & alij Doctores. Non dubito Christum abripuisse ea insignia regni ab inimicis; dubito tamen vtrum illa sit vnctio à Daniele praedicta: fuit enim haec vnctio ex institutione vngentis directa ad significandum Christi regnum. Hanc existimo fuisse tum adorationem Magorum, per quam Christus fuit propositus orbis rex Iudaeorum: *Vbi est qui natus est rex Iudaeorum? venimus cum muneribus adorare eum.* Quem existimo myrrha inunctum à regibus tribus, sicut Pontifices inunguntur à tribus alijs Pontificibus. Partim existimo eam vnctionem fuisse baptismum Ioannis, quando Spiritus sanctus specie columbae visus est super aquas. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit: ipsum audite.* Haec vnctio significauit diuinitatem Christi, & virtutem remittendi peccata. vox autem id significauit expressius: *Hic est filius meus dilectus: ipsum audite.* quae declarat filiationem naturalem Christi, & eum constitui regem atque doctorem, cuius praeccepta & documenta sunt à nobis audienda. ob quod Ioannes dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Video lotionem illam non fuisse vnctionem consuetam Iudaeis per oleum aut vnguenta. Respondeo, illam non fuisse Christo necessariam, quia Christus ipso Deo ut vnguento erat perfusus; quam vnctionem volumus significari hac externa lotionem. Hanc expositionem scriptam legi cum voluptate in Optato Mileuitano lib. 5. contra Parmenianum sub iniurijs, his verbis: *Sed quia Filius à Patre, Deus à Deo erat vngendus, secundum quod Filius petijt, & Spiritus promissa nuntiavit, compleuit Pater in Iordane. Quo cum venisset Filius Dei Saluator noster, à Ioanne ostensus est his verbis: Ecce Agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi. Descendit in aquam, non quia erat quod in eo mundaretur; sed venturum oleum aqua debuit antecedere, ad ministeria iniurianda, & ordinanda, & implenda baptismatis: lotus cum in Ioannis manibus haberetur, secutus est ordo ministerij, & compleuit Pater quod rogauerat. Filius, & quod nuntiauerat Spiritus sanctus. Apevum est caelum, Deo Patre vngente, spiritali oleum statim in imagine co-*

lumba descendit, & infedit capiti eius, & perfudit eum, & digesta est vnctio: unde cepit dici Christus, quando vnctus est à Deo Patre, cui ne manus imposita defuisse videretur, vox audita est Dei, de nube dicentis: *Hic est filius meus de quo bene sensi; ipsum audite.* Hoc est igitur quod lectum est, *Oleum peccatoris non inungat caput meum.* Caetera quae dicuntur de Christo, quia in eo impleta est omnis prophetia; item eius virtute finem accepit peccatum: hostia autem, sacrificia, & tota lex vetus Christi sanguine fuere sepulta.

SECTIO V.

Hebdomades qua ratione sint accipiendae?

§. 19. **H**ebdomas apud Graecos sonat, quod apud Latinos *septimana*, apud nostrates *semana*: significat autem numerum septenarium. quamuis nos septimanam, *semanam*, iam accipimus pro septem diebus quos continent septem Solis conuersiones viginti quatuor horarum, quas supputamus à die Dominica, siue Solis, ad sabbatum, siue Saturni diem: quos dies Ethnici supputabant per astra, Christiani verò appellant *ferias*: diem Lunae vocamus *Feriam secundam*, &c.

§. 20. Hebraei hebdomadas accipiebant pro septimanis iam dierum, iam annorum: erant igitur hebdomada septem dies, aut septem anni. In nullo alio sensu accipiuntur hebdomadae in tota Scriptura. Dierum hebdomades significantur *Leuit. 23. 15. Numerabis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadae septima, id est quinquaginta dies.* *Daniel. 10. 2. In diebus illis ego Daniel iugebam trium hebdomadarum diebus.* Festum item hebdomadarum dicitur *2. Machab. 12. 31. Septimanarum solemnitas*: apud nostrates *solemnidad de las semanas*, Annorum verò hebdomades significantur *Leuit. 25. 8. Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est septies septem.* quae simul faciunt annos 49.

§. 21. Praeter haec vbicumque incurrit de hebdomadibus sermo, numquam est nisi dierum aut annorum. *Gen. cap. 29. v. 27. & 28. Exodi c. 34. v. 22. Leuit. c. 12. v. 5. & c. 23. vers. 15. & 16. & cap. 25. v. 3. Num. c. 28. v. 26. Deut. cap. 16. v. 9. 10. & 16. lib. 2. Paralip. c. 8. v. 13. & c. 23. v. 8. lib. 4. Esdrae c. 6. v. 35. Tobiae cap. 8. v. 23.* Nec ab antiquioribus Hebraeis est alia hebdomadarum significatio.

§. 22. Testimoniū Danielis de septuaginta hebdomadibus accipiendum est in alterutra ex his significationibus; alioquin obscurissima esset prophetia & inanis, quia describeretur Hebraeis tempus ignotum Hebraeis. Voluit autem Deus digito monstrare Christum, ut non solum à Daniele, sed à toto populo expectaretur. Quod patet ex rei magnitudine reuelatae Danieli, ex circumstantia Prophetae solliciti de populi libertate, ex diligentia Gabrielis in explicandis & euoluendis adiunctis aut circumstantiis, quibus quasi palparetur Christus, quae omnia essent ab hoc scopopere quam erantia, si temporis circumstantia esset ignota. Igitur 70. hebdomades supputandae sunt per annos quadringentos & nonaginta, vel per dies totidem: septuaginta enim hebdomades complent eos annos aut dies, nec plures, nec pauciores. Itaque post expletos 490. dies aut annos ab exitu sermonis, Christus erat negandus & occidendus à Iudaeis. At non potuerunt accipi hebdomades di-

erunt,

ertum, quia tam breui interuallo vix potuit populus ædificare urbem, munire, florere, & regno uti. Accipiendæ igitur sunt septuaginta hebdomades pro annis quadringentis & nonaginta.

§. 23. Hinc facile exsibilantur Iudæorum somnia quibus cæcè aberrant. Nonnulli hebdomades accipiunt nec pro diebus, nec pro annis; sed pro iubilæis: ut una hebdomada contineat 7. iubilæos, id est, septies quinquaginta annos: iubilæus enim continebat annos 50. septem autem iubilæi sunt anni 350. quia continent septem quinquagenas annorum: septuaginta autem hebdomades amplectuntur annos 24500. Errant autem Rabbinii, quia nec illa significatio audita est in Scripturis, nec apud Hebræos. Item quia vrbs iam est euerfa, templum complanatum, defecit regnum, cessauit hostia & sacrificium: ergo non potuerunt expectari tot annorum miliaria. Confirmatur, quia prophetia Danielis est ferè eadem quæ Jacob: qui prædixit venturum Christum deficiente regno à Iuda: defecit autem, nascente Christo Domino: tunc enim erat apud Herodem Idumæum. Deinde omnino extinctum est obeunte Agrippa iunior. Ergo non sunt expectandi anni tam multi: & quidem digna est commiseratione Iudæorum cæcitas, oculos non aperientium dum ipsis cernunt effectus prædictos à Daniele post expletas hebdomadas. Quòd si spectant restitutionem regni, vrbs reedificationem, & templi instaurationem; cur postea visis effectibus horum similibus, non somniant alij Rabbinii ad corrigendas hebdomadas ad centenaria annorum: nec enim defuerunt, qui ita somniant: constituunt enim in singulis hebdomadis septingentos annos, centenos pro diebus: septuaginta autem hebdomades 49000. Qui eodem iure sunt irridendi. Alij autem venient, qui accipient hebdomades millenarias, ut singulis diebus respondeant anni milleni.

§. 24. Origenes censuit hebdomades esse decadam annorum: ita ut singulis diebus respondeant anni decem; singulis autem hebdomadis anni septuaginti: septuaginta autem hebdomades conficiunt annos 4900. Hæc sententia minus errat; quia supputat annos ab exordio mundi ad excidium Ierusalem, quod incidit in annum 4900. ex Origene: in dimidio autem hebdomadæ vltimæ vnctus est Sanctus Sanctorum in baptismo, & mortuus anno 33. cum dimidio. Itaque Origenesiam constituit hebdomadas completas, & impletam prophetiam Danielis. Impugnatur autem Primùm eadem ratione, quæ Rabbinii; quia insuetum est apud Hebræos accipere hebdomades pro decadiibus annorum: nec enim extrahenda sunt verba à sensu litterali & consueto. Secundò, quia Gabriel voluit hebdomades supputari à die quo exiit sermo de instauratione Ierusalem: hic autem sermo exiit post verba Gabrielis, & non à mundi natalitio: tunc enim quis promulgauit edictum de Ierusalem instauratione? Tertio, quia chronologia Origenis dissidet ab omnibus alijs, tam Hebraica, quam Ethnica atque Christiana, ut eruditione solita probat P. Pererius in Daniele in 2. parte disput. de septem hebdomadis, versu *Quarta opinio.* Quem sequuntur plerique diligentissimi chronologia supputatores, vide item Bellarm. constituentem annos mundi 3984.

§. 25. Eusebius bipartitus est supputationem he-

bdomadaru: in prima parte constituit 69. hebdomadas, quas censet esse annorum; in secunda constituit septuagesimam hebdomadam, quam supputat per decades annorum: ita ut in eius medietate mortuus sit Christus, in fine autem vrbs euerfa. Fundamentum est, quia non potest aliter chronologia componi. Impugnatur Primùm, quia hebdomades decadam sunt Hebræis inauditæ. Secundò, quia esset sermo valdè ambiguus accipere hebdomades ferè omnes per annos, vltimam autem per decades annorum: sic enim Rabbinii somniant, accipiendam esse vltimam per iubilæos, vel per centenos annos, vel per millenos. Standum est ergo phrasî consuetæ, & texenda chronologia studio diligenti.

*S. Thom.
q. 1. art. 2.*

SECTIO VI.

A quo anno incipiendæ sint hebdomadæ?

§. 26. Certum videtur, hebdomadas incipiendas esse post euerfam Ierusalem à Babilonio, & Iudæos captos, & Babylone detentos. Quia Daniel orationibus vrgebat populi libertatem, vrbs & templi instaurationem; credibile autem est ab eodem etiam apud Deum vrgeri aduentum Christi Domini, qui libertatem populi à peccatis assereret: Gabriel autem illi omnia prædixit, libertatem populi, vrbs & templi reedificationem, aduentum Christi, & mortem peccati. Videamus ergo post captiuitatem, quo anno exierint edicta regia de instauratione Ierusalem, quia ab aliquo ex illis hebdomadæ sunt ordiendæ.

§. 27. Primùm, Cyrus Persa anno 1. quo simul cum Dario regnare cepit, Babylone promulgauit edictum de soluenda captiuitate Iudæica, de reedificanda vrbe & templo. constant hæc Esdræ 1. 1. his verbis: *In anno primo Cyri regis Persarum, ut completeretur verbum Domini ex ore Ieremie, suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: & traduxit vocem in omni regno suo etiam per scripturam, dicens, &c.* Difficultas, vtrum hoc edictum sit prædictum à Daniele? quia edictum non fuit de reedificanda vrbe, sed templo, ut constat ex eodem cap. 1. v. 2. *Et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Item: Ascendat in Ierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei.* De ædificanda igitur vrbe non fuit edictum: constat quæ ex c. 3. operam nauatam ædificando templo, non vrbi.

§. 28. Hæc autem obiectio non videtur magni momenti. Primùm, quia rex non voluit extrui templum solum, sed cum vrbe comoda sacerdotibus templique ministris, qui erant permulti. quod prædixit Isaias cap. 44. *Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ierusalem, ædificaberis: & templo meo, plantaberis.* & c. 45. *Ego suscitavi eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam: ipse ædificabit civitatem meam, & captiuitatem meam dimittet.* Hæc ergo, quæ prædicta fuerunt ab Isaiâ, completa sunt primo Cyri anno: quæ non sunt accipiendæ de incompto vrbs ædificio, cum aliquibus parietibus ad propulsandas temporis, bestiarum & latronum iniurias; sed de ædificio perfecto. Ut igitur Isaias dixit templo, *plantaberis;* dixit Hierosolymis, *ædificaberis.* quo verbo vsus est Daniel c. 9. 25. *Ut iterum ædificetur Ierusalem.* Hæc autem iterata ædificatio supponit primam à primo Hierosolymarum fundatore. Et quid constat 1. Esdræ 4. 12. hostes Iudæorum scripsisse regi